

sunt propter speciem: pertinet igitur ad perfectionem intellectualis substantiae ut omnium specierum naturas, & virtutes, & propria accidentia cognoscat. Hoc igitur in finali beatitudine consequitur per divinae essentiae visionem. Per cognitionem autem naturalium specierum, & individua sub speciebus hujusmodi existentia cognoscuntur ab intellectu Deum vidente, ut ex his quae dicta sunt supra (cap. LV. & LVI.) de cognitione Dei, & Angelorum, potest esse manifestum. Si vero per omnia intelligantur omnia quae Deus suam essentiam videndo cognoscit, nullus intellectus creatus omnia in Dei substantia videt, ut superius ostensum est.

Hoc autem considerari potest quantum ad plura. Primo quidem quantum ad ea quae Deus facere potest, sed nec facit, nec facturus est umquam: omnia enim hujusmodi cognosci non possunt, nisi ejus virtus comprehenderetur; quod non est possibile alicui intellectui creato, ut supra cap. LV. ostensum est. Hinc est quod dicitur Job XI. 7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari. Non enim haec dicuntur quasi dimensionibus quantitatis Deus sit magnus; sed quia ejus virtus non limitatur ad omnia quae magna esse videntur, quin possit etiam majora facere.

Secundo quantum ad rationem rerum factarum, quas omnes cognoscere non potest intellectus, nisi divinam bonitatem comprehendat. Ratio enim cuiuslibet rei factae sumitur ex fine quem faciens intendit. Finis autem omnium a Deo factorum divina bonitas est. Ratio igitur rerum factarum est ut divina bonitas diffundatur in rebus. (1) Sic igitur aliquis omnes rationes rerum creatarum cognosceret, si cognosceret omnia bona quae in rebus creatis secundum ordinem divinae sapientiae provenire possunt: quod esset divinam bonitatem, & etiam sapientiam comprehendere: quod nullus intellectus creatus potest. Hinc est quod dicitur Eccl. VII. 17. Intellexi quod omnium operum nullam possit homo invenire rationem.

Tertio quantum ad ea quae ex sola Dei voluntate dependent, sicut praedestinatio, electio, & justificatio, & hujusmodi, quae ad sanctificationem pertinent creaturae. Hinc est quod dicitur I. ad Cor. II. 11. Quis enim scit hominum quae hominis sunt, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quae sunt Dei, nemo cognovit nisi spiritus Dei.

CAPUT LX.

Quod videntes Deum, omnia simul vident in ipso.

I. Part. 9. XII. art. 10.

1. Quum autem ostensum sit quod intellectus creatus divinam substantiam videns, in ipsa Dei substantia omnes species rerum intelligat: quaecumque autem una specie videntur, oportet simul & una visione videri, cum visio principio visionis respondeat: necesse est quod intellectus qui divinam substantiam videt, non successive, sed simul omnia contempletur.

2. Item. Summa & perfecta felicitas intellectualis naturae in Dei visione consistit, ut supra cap. XXV. ostensum est. Felicitas autem non est secundum habi-

(1) Al. Si igitur aliquis omnes rationes rerum cognosceret, cognosceret omnia bona &c. Forte sic cognosceret omnia bona &c. (2) Vulgata operum Dei.

tum, sed secundum actum, cum sit ultima perfectio, & ultimus finis. Ea igitur quae videntur per visionem divinae substantiae qua beati sumus, omnia secundum actum videntur. Non ergo unum prius, & aliud posterius.

3. Adhuc. Unaquaeque res, cum venerit ad suum ultimum finem, quiescit, cum omnis motus sit ad acquirendum finem. Ultimus autem finis intellectus est visio divinae substantiae, ut supra cap. XXV. ostensum est. Intellectus igitur divinam substantiam videns non movetur de uno intelligibili in aliud. Omnia igitur quae per hanc visionem cognoscit, simul actu considerat.

4. Amplius. In divina substantia intellectus omnes rerum species cognoscit, ut ex praedictis cap. praeced. patet. Quorumdam autem generum sunt species infinitae, sicut numerorum, & figurarum, & proportionum. Intellectus igitur in divina substantia videt infinita. Non autem omnia ea videre posset, nisi simul videret quia infinita non est transire. Oportet igitur quod omnia quae intellectus in divina substantia videt, simul videat.

Hinc est quod Augustinus in XV. de Trin. cap. XVI. dicit: Fortassis etiam volubiles non erunt nostrae cogitationes, ab aliis in alias entes atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.

CAPUT LXI.

Quod per visionem Dei aliquis sit particeps vitae aeternae.

EX hoc autem apparet quod per visionem praedictam intellectus creatus vitae aeternae sit particeps.

1. In hoc enim aeternitas a tempore differt, quod tempus in quadam successione habet esse, aeternitas vero esse est totum simul. Jam autem ostensum est cap. praeced. quod in praedicta visione non est aliqua successio, sed omnia quae per illam videntur, simul & uno intuitu videntur. Illa ergo visio in quadam aeternitatis participatione perficitur. Est autem illa visio quaedam vita: actio enim intellectus est vita quaedam. Fit ergo per illam visionem intellectus creatus vitae aeternae particeps.

2. Item. Per objecta actus specificantur. Objectum autem praedictae visionis est divina substantia secundum se ipsam, non secundum aliquam ejus similitudinem creatam, ut supra cap. LX. ostensum est. Esse autem divinae substantiae in aeternitate est, vel magis est ipsa aeternitas. Ergo visio praedicta in participatione aeternitatis est.

3. Adhuc. Si aliqua actio sit in tempore, hoc erit vel propter principium actionis quod est in tempore, sicut actiones rerum naturalium sunt temporales; vel propter operationis terminum, sicut substantiarum spiritualium, quae sunt supra tempus, quas exercent in res tempori subditas. Visio autem praedicta non est in tempore ex parte ejus quod videtur, cum hoc sit substantia aeterna; neque etiam ex parte ejus quod videtur, quod etiam est substantia aeterna; neque etiam ex parte videntis, quod est intellectus, cujus esse non subjacet tempori, cum sit incorruptibilis, ut supra, Lib. II. cap. LXXIX. probatum est. Est igitur visio illa secundum aeternitatis participationem, utpote omnino transcendens tempus.

Am-

4. Amplius. Anima intellectiva est creata in confinio aeternitatis, & temporis, ut in I. de causis propos. 11. dicitur, & ex praemissis potest esse manifestum, quia est ultima in ordine intellectu; & tamen ejus substantia est elevata supra materiam corporealem, non dependens ab ipsa. Sed actio ejus secundum quam conjungitur inferioribus, quae sunt in tempore, est temporalis. Ergo actio ejus, secundum quam conjungitur superioribus, quae sunt supra tempus, aeternitatem participat. Talis autem est maxime visio qua substantiam divinam videt. Ergo per hujusmodi visionem in participatione aeternitatis fit, & eadem ratione quicumque alius intellectus creatus Deum videt. Hinc est quod Dominus dicit Joan. XVII. 3. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum.

CAPUT LXII.

Quod videntes Deum, in perpetuum eum videbunt.

EX hoc autem apparet quod illi qui ultimam felicitatem consequuntur ex visione divina, nunquam ab illa decidunt.

1. Omne enim quod quandoque est, & quandoque non est, tempore mensuratur, ut patet in IV. Physicor. text. com. CXVII. Visio autem praedicta, quae intellectuales creaturas facit beatas, non est in tempore, sed in aeternitate. Impossibile est ergo quod ex quo illius particeps aliquis fit, ipsam amittat.

2. Adhuc. Creatura intellectualis non pervenit ad ultimum finem, nisi quando ejus desiderium naturale quietatur. Sicut autem naturaliter desiderat felicitatem, ita naturaliter desiderat felicitatis perpetuitatem. Cum enim in sua substantia sit perpetua, illud quod propter se desiderat, & non propter aliud, desiderat ut semper habendum. Non igitur esset felicitas ultimus finis, nisi perpetuo permaneret.

3. Amplius. Omne illud quod cum amore possidet, si sciatur quod quandoque amittatur, tristitiam infert. Visio autem praedicta, quae beatos facit, cum sit maxime delectabilis, & maxime desiderata, a possidentibus eam maxime amatur. Ergo impossibile esset eos non tritari, si scirent se quandoque eam amissuros. Si autem non esset perpetua, hoc scirent: jam enim ostensum est cap. LX. quod videndo divinam substantiam, etiam alia cognoscunt quae naturaliter sunt: unde multo magis cognoscunt qualis illa visio sit, utrum perpetua, vel quandoque desitura. Non ergo talis visio adesset eis sine tristitia; & ita non esset vera felicitas, quae ab omni malo immunem reddere debet, ut supra cap. XLVII. ostensum est.

4. Item. Quod movetur naturaliter ad aliquid sicut ad finem sui motus, non remouetur ab eo nisi per violentiam, sicut grave cum projicitur sursum. Constat autem ex praedictis cap. LX. quod omnis substantia intellectualis naturali desiderio tendit ad illam visionem. Non igitur ab illa deficiet nisi per violentiam. Nihil autem tollitur per violentiam alicujus, nisi virtus auferentis sit major virtute causantis. Visionis autem divinae causa est Deus, ut supra cap. LXII. probatum est. Ergo quum nulla virtus divinam virtutem excedat, impossibile est quod illa visio per violentiam tollatur: in perpetuum ergo durabit.

5. Adhuc. Si aliquis videre desinat quod primo videbat; aut hoc erit quia deficiet ei facultas videndi, sicut cum aliquis moritur, vel caecatur, vel aliquo aliter impeditur; aut erit quia non vult amplius videre, sicut cum aliquis avertit visum a re quam prius videbat; vel quia objectum subtrahitur; &

hoc est communiter verum, sive de visione sensus, sive de intellectuali visione loquamur. Substantia autem intellectuali videnti Deum non potest deesse facultas videndi Deum, neque per hoc quod esse desinat, cum sit perpetua, ut supra cap. LV. II. Lib. ostensum est; neque per defectum luminis quo Deum videt, cum lumen illud incorruptibiliter recipiatur secundum conditionem & recipientis, & dantis; neque potest ei deesse voluntas tali visione fruendi, ex quo percipit in illa visione esse suam ultimam felicitatem; sicut non potest velle non esse felix; neque etiam videre desinet per subtractionem objecti, quia objectum illud quod est Deus, semper eodem modo se habet; nec elongatur a nobis nisi inquantum nos elongamur ab ipso. Impossibile est igitur quod visio illa Dei quae beatos facit, umquam deficiat.

6. Praeterea. Impossibile est quod aliquis a bono quo fruitur, velit discedere, nisi propter aliquod malum quod in fruitione illius boni aestimatur, saltem propter hoc quod aestimatur impedimentum majoris boni: sicut enim nihil desiderat appetitus nisi sub ratione boni, ita nihil fugit nisi sub ratione mali. Sed in fruitione illius visionis non potest esse aliquod malum, quum sit optimum ad quod creatura intellectualis pervenire potest; neque etiam potest esse quod ab eo qui illa fruitur visione, aestimetur in ea esse aliquod malum, vel aliquid eo melius, cum visio illius summae veritatis omnem falsam aestimationem excludat. Impossibile est igitur quod substantia intellectualis quae Deum videt, umquam illa visione carere velit.

7. Item. Fastidium alicujus quo prius aliquis delectabiliter fruebatur, accidit propter hoc quod res illa aliquam immutationem facit in re, corrumpendo, vel debilitando virtutem ipsius; & propter hoc vires sensibiles (quibus accidit fatigatio in suis actionibus propter immutationem corporalium organorum a sensibilibus, a quibus etiam si fuerint excellentia, corrumpuntur) fastidiunt post aliquod tempus frui eo quod prius delectabiliter sentiebant; & propter hoc etiam intelligendo fastidium patimur post longam, vel vehementem meditationem, quia fatigantur potentiae vires corporalibus organo, sine quibus consideratio intellectus nostri compleri non potest. Divina autem substantia non corrumpit, sed maxime perficit intellectum; neque ad ejus visionem concurrat aliquis actus qui per organa corporalia exerceatur. Impossibile est igitur quod illa visio aliquem fastidiat qui prius ea delectabiliter fruebatur.

8. Amplius. Nihil quod cum admiratione consideratur, potest esse fastidiosum, quia quamdiu sub admiratione est, adhuc desiderium manet. Divina autem substantia a quolibet intellectu creato semper cum admiratione videtur, quum nullus intellectus creatus eam comprehendat. Impossibile est igitur quod substantia intellectualis illam visionem fastidiat, & ita non potest esse quod per propriam voluntatem ab illa visione desistat.

9. Adhuc. Si aliqua duo fuerint prius unita, & postmodum separentur, oportet quod hoc accidat per mutationem alicujus eorum. Relatio enim sicut non incipit esse de novo absque mutatione alterius relatorum, ita nec absque mutatione alterius de novo esse desinit. Intellectus autem creatus videt Deum per hoc quod ei quodammodo unitur, ut ex dictis cap. LX. patet. Si ergo visio illa desinat unione hujusmodi desinente; oportet quod hoc fiat per mutationem divinae substantiae, vel intellectus ipsam videntis: quorum utrumque est impossibile: nam divina substantia est immutabilis, ut in I. Lib. cap. XIII.

ostensum est; substantia etiam intellectualis elevatur supra omnem mutationem, quum Dei substantiam videt. Impossibile est igitur quod aliquis decidat ab illa felicitate qua Dei substantiam videt.

10. Item. Quanto aliquid est Deo propinquius, qui est omnino immobilis, tanto est minus mutabile, & magis perseverans: unde quaedam corpora propter hoc quod longe distant a Deo, non possunt in perpetuum durare, sicut dicitur in II. de generatione text. com. LXIX. Sed nulla creatura potest Deo vicinius appropinquare quam quae ejus substantiam videt. Creatura igitur intellectualis quae Dei substantiam videt, summam immobilitatem consequitur: non igitur possibile est quod umquam ab illa visione deficiat.

Hinc est quod in Psalmis Psal. LXXXIII. 5. dicitur: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*: & alibi Psal. cxxiv. 1. *Non commovebitur in aeternum qui habitat in Hierusalem*: & Isai. xxxviii. 20. *Oculi tui videbunt Hierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur: quia solumnodo ibi magnificus est Dominus Deus noster*: & Apoc. III. 12. *Qui viderit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius*.

Per hoc autem excluditur error Platoniorum, qui dicebant, animas separatas, postquam felicitatem ultimam adeptae fuissent, iterum ad corpora incipere velle redire, & finita felicitate illius vitae, iterum miseris vitae hujus involvi: & etiam error Origenis, qui dixit III. Periarchon. cap. 1. animas, & Angelos post beatitudinem iterum posse ad miseriam devenire.

CAPUT LXIII.

Qualiter in illa ultima felicitate omne desiderium hominis completur.

EX praemissis autem apparet quod in illa felicitate quae provenit ex visione divina, omne desiderium humanum impletur, secundum illud Psalmi: *Qui replet in bonis desiderium tuum*: & omne humanum studium ibi suam consummationem accipit. Quod quidem patet discurrere per singula.

1. Est enim quoddam desiderium hominis, in quantum intellectualis est, de cognitione veritatis: quod quidem homines consequuntur per studium contemplativae vitae. Et hoc quidem maxime in illa visione consummabitur, quando per visionem primae veritatis omnia quae intellectus naturaliter scire desiderat, ei innotescunt, ut ex supradictis cap. LXIX. apparet.

2. Est etiam quoddam hominis desiderium secundum quod habet rationem, qua inferiora disponere potest; quod quidem consequuntur homines per studium activae, & civilis vitae; quod desiderium principaliter ad hoc est ut tota hominis vita secundum rationem disponatur, quod est vivere secundum virtutem: cuiuslibet enim virtuosus finis in operando est propriae virtutis bonum, sicut fortis ut fortiter agat. Hoc autem desiderium tunc omnino complebitur, quando ratio in summo vigore erit, divino lumine illustrata, ne a recto deficere possit. Consequuntur etiam civilem vitam quaedam bona quibus homo indiget ad civiles operationes, sicut honoris sublimitas, quam homines inordinate appetentes,

(1) Vulgata v. 4. *Et regnaverunt cum Christo mille annis*; v. 6. *Et regnabunt cum illo mille annis*.

superbi, & ambitiosi fiunt. Ad summam autem honoris altitudinem per illam visionem Dei homines sublimantur, in quantum Deo quodammodo uniuntur, ut supra cap. LXI. ostensum est. Et propter hoc, sicut ipse Deus Rex saeculorum est, ita & beati ei conjuncti, Reges dicuntur: Apocal. xx. 4. (1) *Regnabunt cum Christo*. Consequitur etiam civilem vitam aliud appetibile quod est famae celebritas, per cuius inordinatum appetitum homines inanis gloriae cupidi dicuntur. Beati autem per illam visionem redduntur celebres, non secundum hominum, qui decipi, & decipere possunt, opinionem, sed secundum verissimam cognitionem & Dei, & omnium beatorum: & ideo illa beatitudo in Scriptura sacra frequentissime gloria nominatur, sicut in Psalm. cxxix. 5. dicitur: *Exultabunt Sancti in gloria*. Est etiam & aliud in civili vita appetibile, scilicet divitiarum, per cuius inordinatum appetitum, & amorem homines illiberales, & iniusti fiunt. In illa autem beatitudine est bonorum omnium sufficientia, in quantum beati perfruuntur illo quod comprehendit bonorum omnium perfectionem. Propter quod dicitur Sapientiae VII. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*: & in Psalm. cxi. 3. dicitur: *Gloria, et divitiarum in domo ejus*.

3. Est etiam tertium hominis desiderium, quod est sibi, & aliis animalibus commune, ut delectationibus perfruatur: quod homines maxime consequuntur secundum vitam voluptuosam; & per ejus immoderantiam intemperati, & incontinentes fiunt. In illa vero felicitate est delectatio perfectissima, tanto quidem perfectior ea quae secundum sensum est, quae & bruta animalia perfruuntur, quanto intellectus est altior sensu. Tanto etiam illud bonum in quo delectabimur, majus est omni sensibili bono, & magis intimum & magis continue delectans, quanto etiam illa delectatio est magis pura ab omni permixtione contritantis, aut sollicitudinis alicujus molestantis, de qua dicitur in Psalm. xxxv. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos*.

4. Est etiam naturale desiderium omnibus rebus commune per quod conservationem sui desiderant, secundum quod possibile est: per cuius immoderantiam homines timidi redduntur, & nimis a laboribus sibi parcentes: quod quidem desiderium tunc omnino complebitur quando beati perfectam sempiternitatem consequuntur, ab omni nocimento securi, secundum illud Isai. xli. 10. & Apocal. vii. 16. *Non esurient, neque sitient, et non percussiet eos aestus et Sol*.

Sic igitur patet quod per divinam visionem consequuntur substantiae intellectuales veram felicitatem, in qua omnino desiderium quietatur, & in quo est plena sufficientia omnium bonorum, quae secundum Aristotelem, X. Ethic. cap. vii. ad felicitatem requiritur. Unde & Boetius dicit, III. Lib. de consolatio. prosa 2. quod beatitudo est *status omnium bonorum congregatione perfectus*. Hujus autem perfectae, & ultimae felicitatis in hac vita nihil est adeo simile sicut vita contemplantium veritatem, secundum quod est possibile in hac vita: & ideo Philosophi qui de illa felicitate ultima plenam notitiam habere non potuerunt, in contemplatione quae est possibilis in hac vita, ultimam felicitatem hominis posuerunt (X. Ethic. cap. vii.). Propter hoc etiam inter alias vitas in Scriptura divina magis contemplativa commendatur, dicente Domino, Lucæ x. 43. *Maria optimam partem elegit, scilicet contemplationem veritatis, quae non auferetur ab ea*: incipit enim contemplatio veritatis in hac vita, sed

sed in futura consummatur; activa vero, & civilis vita, hujus vitae terminos non transcendunt.

CAPUT LXIV.

Quod Deus sua providentia gubernat universa.

I. Part. quæst. xxii. art. 2.

EX his autem quae praemissa sunt, sufficienter habetur quod Deus rerum omnium est finis: ex quo haberi potest ulterius quod ipse sua providentia gubernat, & regit universa.

1. Quaecumque enim aliqua ordinantur ad aliquem finem, omnia dispositioni illius subjacent ad quem principaliter pertinet ille finis, sicut in exercituum apparet: omnes enim partes exercitus, & eorum opera ordinantur ad bonum ducis, quod est victoria, sicut in ultimam finem: & propter hoc ad ducem pertinet totum exercituum gubernare. Similiter ars quae est de fine, imperat, & dat leges arti quae est de his quae sunt ad finem, ut civilis militari, militaris equestri, & ars gubernatoria navifactivae. Cum igitur omnia ordinentur ad bonitatem divinam sicut in finem, ut ostensum est (cap. xvii. & xviii.) oportet quod Deus, ad quem principaliter illa bonitas pertinet, sicut substantialiter habita, & intellecta, & amata, sit gubernator omnium rerum.

2. Adhuc. Quicumque facit aliquid propter finem utitur illo ad finem. Ostensum est autem supra II. Lib. c. xv. quod omnia quae habent esse quocumque modo, sunt effectus Dei; & cap. xvii. quod Deus omnia facit propter finem, qui est ipse. Ipse igitur utitur omnibus dirigendo ea in finem. Hoc autem est gubernare. Est igitur Deus per suam providentiam omnium gubernator.

3. Amplius. Ostensum est (II. Lib. cap. xiiii.) quod Deus est primum movens non motum. Primum autem movens non minus movet quam secunda moventia, sed magis quia sine eo non movent alia. Omnia autem quae moventur, moventur propter finem, ut supra (cap. iii.) ostensum est. Movet igitur Deus omnia ad fines suos, & per intellectum: ostensum est enim supra (II. Lib. cap. xiiii. & xv.) quod non agit per necessitatem naturae, sed per intellectum, & voluntatem. Nihil autem est regere, & gubernare per providentiam, quam movere per intellectum: aliqua ad finem. Deus igitur per suam providentiam gubernat, & regit omnia quae moventur in finem, sive moveantur corporaliter, sive spiritualiter, sicut desiderans dicitur moveri a desiderio.

4. Item. Probatum est (cap. iii.) quod corpora naturalia moventur, & operantur propter finem, licet finem non cognoscant, ex hoc quod semper, vel frequentius accidit in eis quod melius est, & non aliter fierent per artem. Impossibile est autem quod aliqua non cognoscant finem operentur propter finem, & ordinate perveniant in ipsum, nisi sint mota ab aliquo habente cognitionem finis, sicut sagitta dirigitur ad signum a sagittante. Oportet ergo quod tota operatio naturae ab aliqua cognitione ordinetur: & hoc quidem mediate, vel immediate oportet reducere in Deum: oportet enim quod omnis inferior ars, & cognitio a superiori principia accipiat, sicut in scientiis operativis, & speculativis apparet. Deus igitur sua providentia mundum gubernat.

5. Adhuc. Ea quae sunt secundum suam naturam distincta, in unum ordinem non conveniunt nisi ab uno ordinante colligantur in unum. In universitate

autem rerum sunt res distinctae, & contrarias naturas habentes, quae tamen omnes in unum ordinem conveniunt; cum quaedam operationes quorundam excipiunt, quaedam autem a quibusdam juvantur, vel etiam operantur. Oportet igitur quod sit universorum unus ordinator, & gubernator.

6. Amplius. Eorum quae circa caelestium corporum motus apparent, ratio assignari non potest ex necessitate naturae, cum quaedam eorum habeant plures quibusdam, & omnino difformes. Oportet igitur quod illorum motuum ordinatio sit ab aliqua providentia, & per consequens omnium inferiorum motuum, & operationum quae per illos motus disponuntur.

7. Item. Quanto aliquid propinquius est causae, tanto plus participat de effectu ipsius: unde si aliquid tanto participat perfectius ab aliquibus, quanto alicui rei magis appropinquat, signum est quod illa res sit causa illius quod diversimode participatur; sicut si aliqua sint magis calida secundum quod magis appropinquant igni, signum est quod ignis sit causa caloris. Inveniuntur autem aliqua tanto perfectius ordinata esse, quanto sunt Deo magis propinqua: nam in corporibus inferioribus, quae sunt maxime a Deo distantia, naturae similitudine, invenitur esse defectus aliquando ab eo quod est secundum cursum naturae, sicut patet in monstruosis, & aliis casualibus: quod numquam accidit in corporibus caelestibus, quae tamen sunt aliquo modo mutabilia; quod non accidit in substantiis intellectualibus separatis. Manifestum est autem quod Deus est causa totius ordinis rerum. Est igitur ipse per suam providentiam gubernator totius universitatis rerum.

8. Adhuc. Sicut supra cap. xiiii. & xv. Lib. VIII. probatum est, Deus res omnes in esse produxit non ex necessitate naturae, sed per intellectum, & voluntatem. Intellectus autem, & voluntatis ipsius non potest esse alius finis ultimus nisi bonitas ejus, ut scilicet eam rebus communicaret, sicut ex praemissis apparet. Res autem participant divinam bonitatem per modum similitudinis, in quantum ipsae sunt bonae. Id autem quod est maxime bonum in rebus creatis, est bonum ordinis universi, quod est maxime perfectum, ut Philosophus dicit (XII. Metaphysic. text. com. l. i.) cui etiam consonat divina Scriptura Genesis I. cum dicitur: *Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona*; cum de singulis operibus dixisset simpliciter quod erant bona. Bonum igitur ordinis rerum creatarum a Deo, est id quod est praecipue volitum, & intentum a Deo. Nihil autem aliud est gubernare aliquam rem quam ei ordinem imponere. Ipse igitur Deus omnia suo intellectu, & voluntate gubernat.

9. Amplius. Unumquodque intendens aliquem finem, magis curat de eo quod est propinquius fini ultimo, quia hoc est etiam finis aliorum. Ultimus autem finis divinae voluntatis est bonitas ipsius cui propinquissimum in rebus creatis est bonum ordinis totius universi, cum ordinetur ad ipsum sicut ad finem omne particulare bonum hujus vel illius rei, sicut minus perfectum ordinatur ad id quod est perfectius: unde & quaelibet pars invenitur esse proprium totum. Id igitur quod maxime curat Deus in rebus creatis, est ordo universi. Est igitur gubernator ipsius.

10. Item. Quaelibet res creata consequitur suam ultimam perfectionem per operationem propriam; nam oportet quod ultimus finis, & perfectio rei sit vel ipsa operatio, vel operationis terminus, aut effectus